

Aeneid. Referunt trieterica Bacchi Orgia. Ovi. 2. de re-
med. Ibat ut ædonio referēs trieterica Baccho. Apuleius
pro magia: Crotalum, inquit, ad trieterica Orgia. Mo-
destinus lib. 50. dig. titu. de pollicitationi. l. septicia. Ago-
nem, inquit, constituo trietericum.

TRINI, æ, a, nomen est distributivum, quale illud
bini, & quini, & deni, significatq; cuilibet competere
tria. Iungiturq; ut alia eiusmodi nomina nominibus plu-
raliter declinatis. Martialis: Transierint binæ forsan tri-
næ ue calendæ. Silius li. 15. Punicorum: Qui sua nunc tri-
nis deducunt agmina castris. Martianus li. 50. de legatio.
l. sciendum. Præcipitur, inquit, edicto Vespasiani omni-
bus ciuitatibus, ne plures quàm trinos legatos mittant.
Accursius in erroribus pertinax est, nam qui binos expo-
suit pro quatuor, quinos pro decem, denos pro uiginti,
hoc in loco trinos pro sex exponit, cum exponendum fue-
rit trinos, id est quælibet ciuitas tres. Sed quæro iam, non
ab illo, sed ab illius amatoribus, an recte dictū sit, quòd
omnes ciuitates non amplius mittere debeant, quàm sex
legatos? significaretur nanq; quòd omnes ciuitates simul
sumptæ non amplius essent missuræ quàm sex legatos,
quod est perquàm ridiculum.

TRIPHVS, potest interpretari delicatus: nam try-
phe, es, est delictum, & tryphao delictior. Vlpia. titulo de
ædilitio edicto. l. idem Offilius. Balbus, inquit, & blesus
& tryphus, isq; qui tardius loquitur. Vbi tryphum pro
traulo hoc est bleso posuit, & qui quodammodo ex de-
licijs sic loquitur. Quintilianus libro primo: Illorum de-
licias reprehendi, qui, s, literam male proferunt.

T R O